



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quomodo Deus signavit filium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

ex eo in se habeant unde signentur: & dum totum accipiunt quod imprimitur, totum ex se praferunt, quod impressum est. Verum hoc ad diuina naturam non praefixit exemplum: quia in signaculo & materies sit, & diuersitas, & impressio, per quam mollioribus naturis, validorum generum species imprimuntur. Vnigenitus vero Deus, & per Sacramentum salutis nostra, hominis filius, volens proprietatis nobis paternae in se significare speciem, signatum se à Deo ait, & hoc ideo, quia vita aeterna escam filius hominis esset daturus, ut per hoc potestas in eo danda ad aeternitatem esca intelligi possit, quia omnem in se paternam formam plenitudinem significantis se Dei contineret, ut quod signasset Deus, non aliud ex se quam formam Dei signantis assereret. Hac quidem Dominus ad Iudeos ob infidelitatem suam dicti huius incapaces, locutus est. Sed nobis Euangelii praedicator proprietatis huius intelligentiam Spiritu Christi per se loquentis insinuat dicens: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed se exinanivit formam serui accipiens. Quem enim significauerat DEVS, aliud praterquam Dei forma esse non potuit. Et ideo quod signatum in Dei forma est, hoc necesse est totum in se coimaginatum habere quod Dei est. Et idcirco Apostolus eum quem signauit Deus, in Dei forma manentem Deum praedicauit. Nam assumpti & conuati in eo corporis Sacramentum locutus ait, Non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed se exinanivit formam serui accipiens. Quod enim in forma Dei erat, per signantem se Deum Deus manebat.

§. 4. Caluinus ex eo, quod Christus cibum se daturum promittit, merita negare contendit. [Nam quod donatione eius consequimur, nemo propria industria sibi comparat: Est quidem in his verbis, alia qua repugnantiae species, sed haec duo facile inter se conueniunt; quod spiritualis animae cibum sit gratulatum Christi donum, & quod nos toto cordis affectu huc eniti conueniat, ut fiamus tanti boni participes.] Itaque concludit nos operibus vitam aeternam non mereri.

Respondedo. Operandi verbum cum accusatiuo iunctum, hunc sensum habere. Illi in cibum corpoream toti inhabant, & CHRISTVM eius ministrum existimabant. Christus monet ut operentur cibum; qui non perit, non propria industria comparandum, sed pia voluntate, quae gratiam DEI in vacuum non accipiat. Cur vero conatum illum requirit, si nulla inest voluntati ad agendum cum gratia adiutrice viuacitas? Nam operari cibum est agere aliquid quo cibum consequantur, operari igitur ad cibum suam habent proportionem, efficaciamque.

At donatur, non ergo meremur. Quasi vero nostra merita non sint Dei dona. Donantur multa gratuito sine vllis meritis bonis, imo etiam cum sunt in homine merita mala, alia donantur, non tamen sine meritis nostris, quae & ipsa sunt dona.

Non est autem difficile, Dei dona, & merita nostra mutuo inter se conciliare, ut est in Trident. sess. 6. cap. 16. Iustus propositam esse vitam aeternam, tanquam gratiam filijs per Christum Iesum promissam, & tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis reddendam fideliter.

Deus si non compensat eius regnum, non admittitur iustus. & cap. 2. de natur. & merita non est iustus.

Deus autem cum non nisi pacto gratuito possit fieri alicuius debitor, voluit, & promisso & iuramento fidem obligare. Ita ut quod donat, etiam iustitiae titulo tribuat, ut Hebr. cap. sexto. Non est iniustus Deus ut obliuiscatur operis vestri. Augustinus libro quinto. contra Iulian. Deus ipse, (quod absit) est iniustus, si ad grat. Non est iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede iustitiae. Paulin. ad Victric. Tuarum tibi premia se debere virtutum iustus Iudex agnoscit. Vide D. Thom. 2. 2. quaestio. 65. artic. 1. & 4. Quamuis etiam inter homines factis constet, donum quod sola veritate & fidelitate pol-

licentis nititur. Gratuitum esse, cum vero pactum & conditionem mutuum exigit promissor, ea praestita, debitum efficitur.

Quod si opus requiratur, ut aliquod decens, non ut in eo valor consideretur sufficiens ad fundamentum iustitiae, nondum erit propria iustitia in eius remuneratione. Manet autem immotum Dei consilium, ut suae operationi, nostrae cooperationi premium promissum gratuito, ex sua iustitia perfoluat.

§. 5. Non potuit sine grauissima calumnia, locum illum praeterire Caluinus. [Simul tamen docemur, hanc alio, quam ad Christum transferunt: unde constat Papitas omnibus doctrinae suae partibus profus esse falsarios. Quotquot enim in Christi locum supponunt salutis media, toties quasi inductis litibus Christi sigillam quod vnum est authenticum, scelerata audacia, & nefanda perfidia corumpunt, nos vero ne in illum horribilem reatum incidamus, Christo in regum ac illibatum seruare debemus, quicquid illi à Patre datum est.]

Respondedo. Alia salutis remedia extra Christum, nemo Catholicorum supponit: omnia enim à Christo proueniunt. Illi vero sigillum à Deo firmatum nefanda audacia feegerunt, qui media salutis per Christum donata sustulerunt. Christus penitentiam postulat, ut peccata condonentur, illi ante omnem penitentiam sola fiducia & securitate remitti contentantur.

Imo se cure Christum contemnant, qui soli & vni fiducia innituntur. Christus operari iubet cibum qui non perit. Lutherus vero Epistol. de nativitate ait: [Qui in Christum credit, eum ista fecisse, ille mox in momento obtinet omnia, transieruntque omnia eius peccata, cum morte & inferis, nec ad salutem aliam re praeter fidem indiget.] Eadem est sententia Caluini.

Sed huic tamen doctrinae Wittebergenfes Antilutherani repugnant. in discept. contra Heidelbergenses. Quomodo autem fidem, hoc est, remissionis fiduciam penitentiae praepoant, ostendit Caluinus lib. 3. cap. 3. instituit.

VERSUS 29.

Respondit Iesus & dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.

QUESTIO I.

Cur fidem vocet opus?

§. 1. Valde se hoc loco torquent primates sectariorum, ne fides dicatur opus, ne cum fide iustificamur, opere iustificari dicamur. Nihil porro fiduciaris magis aduersum cogitari potest, quam si fidem opus dicamus; nam si credere iustificat, verisporum dicunt aliquando aliqui, opus sane est, quod iustificat. Fidem autem esse opus, leu actum fidei, factis ex Christi sententia constat. Hoc est opus Dei ut credatis in eum quem ille misit. Iusserat Christus operari cibum qui non perit; illi quarunt quomodo oportet operari opera Dei. Hoc est opera Deo gratia? opera Deo auctore laudanda? Quidam putant finxisse eos operationis ignorantiam. Cyrillus & Chryostomus ex arrogantia, Toletus bono animo qualifit, Chryostomus etiam ad opera se obtulisse existimat, ut Christo gratificati iterum ab eo lauraretur.

ADAMI
112
+ Euangelii
CIVT
118